

CASUS VII.

PROPOSITUM 2°.

CORNELIUS, consuetudine peccati turpis laborans, a Confessario interrogatur utrum firmiter proponat hæc pravæ consuetudinis peccata non amplius committere. « Propono quidem, ait pœnitens, sed prævideo me certo « propositum hoc violaturum esse. Alias enim similiter proposui, et semper « infeliciter sum relapsus. Tanta est in me vis consuetudinis, ut me alliciat « et pertrahat. — Sed proponisne a lapsu præcavere? reponit Confessarius. « — Ita, Pater, ait CORNELIUS, sed sum certus de futuro relapsu. » Confessarius, hujusmodi responsis intricatus, nescit an pœnitentem hunc absolvere possit. Tandem eum absolvere statuit.

HINC :

QUÆR. 1° *An censeatur firmum propositum habere, qui dicit se esse certum de relapsu futuro?*

2° *Quid dicendum de consuetudinario qui cito post absolutionem in peccata consueta relabatur?*

3° *Quid de casu?*

SOLUTIO :

420. — *R. ad 1^m Quæs. Neg.*, quia, practice loquendo, ille qui vult sincere peccatum vitare, ab illo abstinere potest. Ergo, si pœnitens certus sit se relapsurum esse, hoc infirmitatem propositi arguit. Etenim, si valida sit peccandi consuetudo, nonne multo validior est divina gratia, quæ volenti et cupienti nunquam denegatur? Nonne consuetudinarius, licet infirmissimus, dicere potest cum Apostolo : *Omnia possum in eo qui me confortat?* Philip. 4. 13. — *Non ego, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. 10. — *Cum infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 12. 10. *S. Lig. n. 451.*

Attamen non deberet censi indispositus ille qui ex præterita fragilitate lapsum timeret, sed firmiter statueret peccatum vitare. Timeat quidem, sed caute incedat, oret et super se ipsum invigilet: *Beatus enim homo qui semper est pavidus.* Prov. 28. 14. — *S. Lig. ibid.*

421. — *R. ad 2^m Quæs.* Præsumptio stare debet contra ipsum. Hinc præsumendum est eum fuisse indispositum, seu firmo proposito caruisse in ultima confessione, et proinde illa confessio iteranda est, utpote invalida. Ratio est, quia peccator qui cito ac facile relabatur, nullo adhibito conatu ad resistendum tentationi, non censetur firmiter statuisse non amplius peccare. *V. Comp. n. 513.*

422. — *R. ad 3^m Quæs.* CORNELIUS videtur invalidam confessionem fecisse, quia, ex dictis, qui credit se certo relapsurum esse arguit eo ipso se firmitate propositi caruisse. Ergo male egit Confessarius hujusmodi pœnitentem absolvendo; nisi in eo potius timorem relapsus quam defectum propositi agnosceret, ut supra dictum est.

CASUS

DE CONFESSIOE

SEU

De obligatione confessionis, de ejus integritate, sinceritate; de peccatis dubiis; de circumstantiis peccatorum; de manifestatione complicitis; de peccatis ex oblivione omissis; de confessione per interpretem; de confessione moribundorum sensibus carentium; de examine conscientiæ, et de confessione repetenda, necnon de confessione generali.

CASUS I.

OBLIGATIO CONFSSIONIS

In hæretico ad Fidem converso.

CHRYSANTUS, ab hæresi lutherana ad Fidem catholicam conversus, ob dubium in sua secta susceptum Baptismum, sub conditione rebaptizandus est. Hoc quidem summopere exoptat, sed peccatorum confessionem quam maxime reformidat. Est quidem animo dispositus ad futura peccata rite accusanda; verum a præteritis declarandis excusari vellet. Anxietate pressus, interrogat ROGERIUM Theologum. Obligationem confitendi urget ille : 1° quia hoc exigit obligatio tutiorem partem amplectendi, ubi agitur de re ad salutem necessaria, seu de peccatorum remissione; 2° quia statuit Christus Dominus nullum peccatum remittendum in lege nova, nisi per Pœnitentiæ Sacramentum; 3° quia sic fert generalis consuetudo; 4° quia secus periculum foret abusus, si neo-conversi ad confitendum non tenerentur; difficulter enim legi confessionis postea subjicerentur. *Ad tutius* CHRYSANTUS interrogat HILARIUM, alium Theologum. Hic autem negat prorsus dari in pari casu ullam obligationem confitendi, siquidem, inquit, lex certo obligans ostendi nequit. His hinc et inde auditis, CHRYSANTUS in perplexitate permanet.

HINC :

QUÆR. 1° *An reapse hæreticus ad Fidem conversus et sub conditione baptizandus, confiteri teneatur?*

2° *An confessio, si fiat, Baptismo præmittenda sit? aut, vice versa, Baptismus sit præmittendus?*

3° *Si confessio sit necessaria, an integra esse debeat, et quomodo pœnitens sit absolvendus?*

SOLUTIO :

423. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* Cum enim de confessionis hujus necessitate controversia apud Anglos catholicos orta esset, Archiepiscopus Westmonasteriensis, cæterique Angliæ Episcopi, supplices ad Papam preces direxerunt, quibus eum enixe rogabant, ut declarare dignaretur super hac quæstione gravissima mentem Ecclesiæ. Quæstionem autem ita proponerent: *An debeat confessio Sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigere, et an ea debeat esse integra?* — Jam vero die 17 Dec. 1868 prodiit decretum Cong. S. O., quod sic habebat: « In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, præhabitis que DD. Consultorum suffragiis, iidem Emi ac Rmi Patres ad utramque que dubii partem censuerunt respondendum esse: *Affirmative*; et *dandum esse Decretum latum sub feria V. die 17 Junii, anni 1715.* — Eadem die ac Feria, SS. D. N. Pius divina providentia Papa IX, in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii concessa, Resolutionem Emorum Patrum approbare ac confirmare dignatus est; eamque una cum memorato Decreto mandavit remitti R. P. D. Archiepiscopo Westmonasteriensi. »

In allegato autem Decreto diei 17 Jun. 1715, quod præcedenti adnectebatur, latumque fuerat occasione conversionis Germani cujusdam hæretici, nomine Caroli Ferdinandi Wiperman, de quo dubitabatur an valide olim baptizatus fuisset, hæc legebantur: « Quæritur, an dictus Wiperman sit rebaptizandus; et quatenus affirmative, an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative, an teneatur confiteri peccata præterita; et quatenus affirmative, an confessio præponenda sit, vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione. — SSmus auditis votis Emorum dixit: *Carolus Ferdinandus esse rebaptizandum sub conditione, et collato Baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.* » Ex quibus apparet decisionem ad Anglos datam non eos solos, unamve gentem, spectare, sed tanquam regulam generalem ubique observandam esse.

424. — Admitti igitur nequit HILARII sententia, quam hoc modo tuebatur olim *P. Lacroix* l. 6, p. 1, 323: « Quando sub conditione reputatur Baptismus, probabile videtur, quod non sit obligatio confitendi, quia libertas est in possessione. Certum est enim baptizandum non fuisse obligatum confiteri ante Baptismum, et supervenit dubium de Baptismo ex quo sequeretur ea obligatio: possessionem autem certam non expugnat dubium superveniens. » Verum, ad mentem citati Decreti, dicendum est e contra manere obligationem confitendi; sive quia, ubi agitur de receptione Sacramentorum, quæ sunt necessaria necessitate medii, tutius est sequendum; sive quia certo collatus olim Baptismus est

in possessione, quamvis de ejus valore dubitetur, adeoque obligationem inducit confitendi peccata post ipsum commissa, quamdiu non probatur certo fuisse invalidus. — *Vide ephem. Acta S. Sedis, vol. 4, p. 320.*

425. — *R. ad 2^m Quæst.* Juxta responsionem Cong. S. O. confessio et absolutio postponendæ sunt secundo Baptismo; et ratio esse potest, quia sic melius præcavetur periculum, ne materia Sacramenti Pœnitentiæ ponatur, aut ipsum Sacramentum recipiatur, ab illo, qui nondum baptizatus sit.

426. — *R. ad 3^m Quæst.* Confessio integra esse debet, siquidem fit ex obligatione; et pœnitens sub conditione absolvendus est, quoniam per secundum Baptismum forte peccatorum omnium jam remissionem accepit.

CASUS II.

INTEGRITAS CONFESIONIS 1^o.

1^o CRISPINUS, juvenis, sic confessionem instituit: « 1^o Deditus fui intemperantiæ, ludo et blasphemis cum variis sociis. 2^o Sæpius cogitationes impuras in mente volvi circa diversas personas. 3^o Semel cum puella tota nocte conversatus sum. 4^o Pluries inimicitias in mente nutrivi, de inimico detraxi, et ipsi malum optavi. »

2^o ELODIA, querula mulier, se accusat quod decies circiter in maritum imprecata fuerit; postea vero detegit, se undecies vel etiam quindecies fuisse imprecatam. Item confitetur peccatum aliquod detractionis, uti dubium, dicendo: *Credo quod detraxerim, vel de hoc dubito*; deinde vero reperit, peccatum illud certo a se patratum fuisse: proinde dubitat utrum in utroque casu confessio horum peccatorum iteranda sit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid requiratur ad integritatem confessionis?*

2^o *Quid dicendum de confessione CRISPINI in primo casu?*

3^o *An ELODIA teneatur ad iterandam confessionem peccatorum ut dubie accusatorum, quando comperit ea fuisse certa, prout dicitur in secundo casu?*

4^o *Si quis erraverit, numerum peccatorum notabiliter exaggerando, an id in confessione postea declarare debeat?*

SOLUTIO :

427. — *R. ad 1^m Quæst.* Requiritur ad integritatem confessionis, ut omnia peccata mortalia post Baptismum commissa et menti occurrentia accusentur juxta numerum et species, quantum fieri potest. *Vid. Comp. n. 469.*

428. — *R. ad 2^m Quæst.* Confessio CRISPINI caret integritate in omnibus quia neque numerum peccatorum, neque eorum species declarat, nec ali-

quando satis exprimit utrum materia sit gravis vel levis. Confessarius igitur supplere debet interrogando sequenti modo :

« 1° Quomodo violasti temperantiam? an excedendo in cibo, vel in « potu? an usque ad crapulam vel ad plenam ebrietatem? et quoties? Cui-
« nam ludo vacasti? an ludo prohibito? injusto? an cum magna prodiga-
« litate? an pluries? Quoties blasphemasti? quomodo? » Hæc ultima in-
terrogatio sæpe erit necessaria ad dignoscendum utrum revera pœnitens
blasphemaverit.

« 2° Quoties deliberate pravis cogitationibus assensum præbuidisti? an
« etiam prava desideria fovisti? quodnam fuit tuæ concupiscentiæ objec-
« tum? an personæ liberæ vel conjugatæ? an cognatæ, affines? an peccata
« consummata sint, vel non? »

« 3° An conversando tota nocte cum puella pluries et quoties peccasti,
« vel peccatum consummasti? »

« 4° Quoties vel quamdiu inimicitias fovisti? an, vel quoties mala gravia
« proximo tuo optasti? »

« 429. — R. ad 3^m Quæst. 1° ELODIA non tenetur accusare peccatum undecimum, utpote comprehensum in hac accusatione *circiter decies*. S. Lig. n. 466. — Voit, n. 557. 2° Tenetur vero exprimere numerum decimum quintum, utpote in præfata locutione non contentum. 3° Tenetur, saltem *practice loquendo*, iterum accusare peccatum detractionis, juxta communem sententiam, quia peccatum certum in accusatione dubia non continetur. V. Comp. n. 472-480. — S. Lig. *ibid.* — Voit, *ibid.*

430. — R. ad 4^m Quæst. Nego, si bona fide egerit, quia plene et integre obligationi confessionis satisfecit, siquidem numerus minor in majori fuit comprehensus adeoque remissus. Ita communiter. — Reuter, n. 313

CASUS III.

INTEGRITAS CONFESIONIS 2°.

Venialia uni, et mortalia alteri declarata.

LEOCADIA Confessario, ut pia mulier nota, si quando graviter peccet, ne apud eum bonam existimationem amittat, extraordinarium Confessarium requirit, cui mortalia confiteatur, et venialia tantum Moderatori ordinario declarat. Quondam, cum in aliquod mortale lapsa fuisset, et copia Confessarii extraordinarii deesset, recurreretque tempus pro confessione statutum, in magna versabatur perplexitate. Astant undique ambages. Si accedere velit ad Confessarium ordinarium, magna verecundia cohibetur; si exspectare statuat donec alium repererit, mirabitur solitus Moderator, et postea de causa insolitæ moræ interrogabit. Quid igitur faciet, misera? adit quidem solitum Sacerdotem, sed, ne sacrilegio inquinetur, oblatam a Confessario absolutionem recusat, prætextu insufficientis præparationis, aut recollectionis, sed reapse ut alium Confessarium interea adire queat.

HINC :

QUÆR. 1° *An valide confiteatur ille qui venialia uni Confessario, mortalia vero alteri declarat?*

2° *Quid de LEOCADIA dicendum?*

SOLUTIO :

431. — R. ad 1^m Quæst. *Affirm. per se loquendo*, dummodo omnia mortalia alteri confiteatur, nec absolutionem recipiat unquam, celato aliquo peccato mortali. Ratio est, quia confessio est vere integra, si omnia peccata mortalia complectatur. Attamen in praxi diffidendum est erga eos qui sæpe mortaliter peccant, et circumeunt frequenter Confessarium mutando, ne cognoscantur, et proinde ut liberius peccent. Quam maxime sane libertati in eligendo et etiam mutando Confessario favendum est; sed abusus etiam impediendi sunt. V. Comp. n. 475. — Lacroix, n. 1186. — Suarez. — Layman. — Et alii apud Lacroix.

432. — R. ad 2^m Quæst. LEOCADIA non est arguenda de integritatis defectu in confessione; sed timendum est ne, huc et illuc vagando, et frequenter Confessarium de industria mutando, dispositione cordis sufficienti careat. Enixe etiam adhortanda est ut ad Confessarium ordinarium non accedat, si nolit mortalia declarare, etiamsi absolvi nolle; quia facile fieri potest ut, urgente Confessario, absolutionem sacrilegam recipiat. Cæterum verendum est etiam periculum, ne LEOCADIA, si sæpe in mortalia labatur, Confessarium decipiat et frequentius, licet indigna, ad S. Eucharistiam a Confessario admittatur.

CASUS IV.

INTEGRITAS CONFESIONIS 3°.

Peccatum recens ut antiquum declaratum.

PAULINA, industria mulier, si quando gravius peccet, modum invenit peccatum cum minori verecundia confitendi, ut ex dicendis patebit.

1° Quondam, cum peccati turpis rea evasisset, confessionem generalem summariam a pluribus annis instituit, et peccatum illud recens commissum, et nondum declaratum, cum aliis peccatis jam in præcedentibus confessionibus accusatis miscet et confundit.

2° Alias, culpa lethali recenti inquinata, accusatis peccatis venialibus, addit : *Me accuso etiam de tali peccato quod anno præterito infeliciter patravi.*

3° Alias, recurrente eodem casu, accusatis pariter venialibus, sic concludit : *Accuso me de omnibus culpis in tota vita mea commissis, præsertim de tali peccato turpi.*

HINC :

QUÆR. 1° *An peccata nondum accusata, necessario sint distinguenda a peccatis jam declaratis, v. g. si aliqua confessio generalis instituat.*

QUER. 2° *An satisfaciatur integritati confessionis, qui peccatum recens ut antiquum accusat?*

3° *Quid de variis industriis PAULINÆ?*

SOLUTIO :

433. — *R. ad 1^m Quæst. Neg.* probabilius *per se*. Ita *S. Lig. n. 425*, et clarius *in Hom. apost. n. 4*. — *Lugo, disp. 16, n. 46*. — *Tamb. Meth. conf. l. 2, c. 1*, et alii contra *Billuart, diss. 7, art. 2, § 5*. — *Lacroix, n. 4181*.

Ratio est, quia peccatum, quatenus commissum, idem est sive jam fuerit declaratum, sive non declaratum. Circumstantia enim temporis quo patratum fuit, non se habet ex parte peccati, sed mere ex parte pœnitentis. Quapropter, illa circumstantia non explicata, totum tamen explicatur peccatum secundum suam specificam gravitatem, imo secundum circumstantias ipsum aggravantes. Hinc :

1° Qui confitetur peccatum in præcedenti confessione ex oblivione omis- sum, non tenetur hanc circumstantiam explicare, nisi per accidens hoc requiratur ut sciat Confessarius an possit absolvere, necne. *Lacroix, ibid.*

2° Qui confitetur generaliter, probabilius potest sine alia explicatione admiscere peccata nova cum antiquis, etiamsi id de industria faciat ad tegendum tempus quo peccatum commisit, quia utitur jure suo. Nec obstat quod dicat se velle confessionem generalem facere; per hoc enim non dicit se velle sola peccata antiqua confiteri, sed velle se etiam illa comprehendere : nam confessio omnia peccata usque ad hanc horam commissa complectitur, nec refert quod mutetur iudicium Confessarii qui forte putat peccatum jam esse deletum, dum non fuit adhuc declaratum, quia sufficit ut Confessarius iudicium ferat de peccato ut in se est; malitia enim peccati non mutatur, sive remissum jam fuerit necne. Nec refert etiam quod Confessarius intelligat illud esse peccatum antiquum; pœnitens enim id non dixit, nec intentio absolvendi pendet ad existimationem privatam Confessarii qui intendit absolvere ab omnibus peccatis ad iudicium delatis. Ita expressis verbis *Lugo, ibid. n. 54*. Hoc autem probabiliter valet, etiamsi pœnitens prævideat Confessarium putaturum esse peccatum recens jam fuisse alias declaratum, dummodo ex vi confessionis eum in hunc errorem non inducat, sed tantum errorem permittat. *Lugo. — Bonacina. — Suarez. Et alii apud Lacroix, n. 1181*.

Dixi *per se loquendo*, quia aliquando necessario declaranda est *per accidens* temporis circumstantia, v. g. si peccati speciem mutet, ut in conjugato, etc., vel si ipsi peccato adnexa sit reservatio, etc. In praxi tamen semper ut discrimen illud fiat suadendum est. *Lacroix, n. 1182*.

434. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.* Ratio est, quia expressa temporis determinatio in confessione omnino mutat actum clavibus subjiciendum. Actus enim quem hodie posuisti non est idem ac ille quem posuisti anno præterito. Ergo, quando dicis te peccasse anno præcedenti, non confiteris peccatum hodie vel heri patratum; et dupliciter mentiris, scilicet accusando peccatum quod non fecisti altero anno, et negando peccatum quod nunc patrast. Ita expresse *Tambur. Meth. conf. l. 2, c. 1*. — *Adde Suarez, —*

Bonacina, et alios apud Lacroix, n. 1181. Etenim isti auctores, asserendo non esse necessario distinguenda peccata non accusata a peccatis jam alias accusatis, apponunt hanc restrictionem : modo pœnitens ex vi confessionis Confessarium in errorem non inducat, sed tantum errorem permittat, ut in responsione ad *Quæst. præc.* jam dictum est. *V. Comp. n. 488*.

Objicies : Circumstantia temporis quo peccatum fuit commissum, non mutat speciem peccati, neque est pars peccati, ut dictum est in responsione ad primum *Quæst.* Ergo nulla ratione illa circumstantia declaranda est.

R. Dist. Circumstantia temporis non est quidem declaranda *per se*, quia verum est eam non habere rationem peccati, nec pertinere ad peccatum, neque mutare ejus speciem; sed non est positive excludenda in accusatione peccati, quia peccator illam positive excludendo negat eo ipso se tunc peccasse, quod falsum est.

435. — *R. ad 3^m Quæst.* Seu quid de PAULINÆ industriis?

In primo casu, videtur PAULINA integritati confessionis satisfecisse cum rigore loquendo, quia pœnitens, significando se velle declarare peccata totius vitæ usque adhuc, nihil excipit, nec Confessarium in errorem necessario inducit. Nec obstat, quod peccata non adhuc declarata cum aliis jam confessis misceat.

In secundo casu, PAULINA non satisfecit integritati confessionis, quia negavit se recenter peccasse, quod falsum est, et proinde æquivalenter celavit peccatum, hoc ultimo tempore commissum.

In tertio casu, defuit etiam integritati confessionis, quia peccatum recens, ut antiquum, accusavit : hæc enim formula in fine confessionis ordinarie prolata : *Accuso me de peccatis totius vitæ*, in sensu communiter accepto, significat peccata ante ultimam confessionem commissa. Ergo Confessarius intelligit peccatum a pœnitente specificatum, ad vitam antea actam pertinere, et jam accusatum esse. Ergo confessio ista integritate caret; ergo iteranda est. *V. Comp. n. 488*.

CASUS V.

INTEGRITAS CONFESIONIS 4°.

Confessio dimidiata ob infamix periculum.

1° SIGISMUNDUS, Parochus, sacrum Viaticum ad BARBARAM moribundam deferens, magna comitante turba, postulat ab ipsa de more, secreto, an quid conscientiam remordeat? Fatetur illa, se a 40 annis sacrilege confessam esse; timens autem Parochus ne mirentur assistentes, si diutius cum ægrota sermonem protrahat, audito uno vel altero peccato, eam absolvit et sacra Eucharistia reficit.

2° CLAUDINUS, puer, cum pro prima vice ad sacram Mensam, multis stipulantibus sociis, accederet, timore sacrilegæ Communionis correptus, statuit declarare peccatum grave a pluribus annis patratum, et hactenus in confessione celatum. Deficiente Confessario ordinario, adit Sacerdotem

primum sibi obvium, et rem ei uno verbo aperit. Hic propter temporis angustiam et infamiæ periculum puerum statim absolvit, præcipiendo ut ad sacram Synaxim accedat, postea confessionem ratione integritatis completurus.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An recte processerit SIGISMUNDUS in primo casu?*
 2^o *An CLAUDINUS in secundo casu potuerit absolvi et Eucharistiam accipere, imperfecta confessione?*

SOLUTIO :

436. — *R. ad 1^m Quæs.* SIGISMUNDUS recte processit, nec prudenter alio modo facere potuisset; etenim in tantis rerum angustiis non urget præceptum integritatis confessionis, propter periculum famæ quod incurrisset moribunda. Igitur in eo casu, auditis præcipuis peccatis, mulier absolvi debuit. Deinde Confessario quamprimum ad ægotam redeundum fuit ad majorem confessionis integritatem obtinendam, in quantum, spectatis circumstantiis, id fieri potuit. *S. Lig. n. 484. — Gousset (1).*

437. — *R. ad 2^m Quæs. Affirm.* Ratio enim eadem est ac in casu præcedenti, scilicet, quia urgebat periculum grave infamiæ excusans hic et nunc a præcepto divino integritatis confessionis. Recte igitur egit Confessarius erga CLAUDINUM. *Ita Gousset, ibid. (2).*

CASUS VI.

INTEGRITAS CONFESIONIS 5^o.

Virago.

ROSAURA, nobilis matrona, omnibus Confessariis civitatis notissima, cum non auderet cuiquam aperire sua peccata, nec alio facile divertere posset, induta virili veste, sub noctem ingreditur Oratorium in quo soli viri admittuntur, virilique simulata voce, integram et sinceram instituit

(1) « On n'est point obligé de faire une confession entière quand on ne peut la faire sans danger de se diffamer ou de donner du scandale; ce qui aurait lieu si, après avoir porté le Viatique à un malade, le Confesseur venant à découvrir que ses confessions sont nulles depuis plusieurs années, lui faisait faire une confession générale détaillée. Dans ce cas, il suffit que le malade s'accuse des péchés qui lui font plus de peine, et s'excite à la contrition avec le ferme propos d'achever sa confession le plus tôt possible, moralement parlant. » *Gousset, n. 433.*

(2) « Un jour de première communion, quelques moments avant de s'approcher de la sainte Table, un enfant, craignant de communier indignement, demande à se réconcilier : ne pouvant s'adresser à son Confesseur qui dit la Messe, il a recours à un autre Prêtre qui est présent; il s'accuse d'avoir caché, dans les confessions précédentes, un péché mortel, ou du moins qu'il croyait mortel, et le défaut de temps ne lui permet pas de réitérer les confessions. Comme il ne peut s'éloigner de la sainte Table sans incon vénient, et sans se compromettre aux yeux des assistants, le Confesseur pourra l'absoudre, s'il est d'ailleurs disposé à réparer celles de ses confessions qui ont été nulles ou sacrilèges. » *Gousset, n. 432.*

confessionem omnium peccatorum, etiam cum personis sexus diversi commissorum, et absolutionem obtinet.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An confessio ROSAURÆ valida et integra fuerit?*
 2^o *Si abortum in se procurasset, an satis fuisset dicere : Abortum procuravi?*

SOLUTIO :

438. — *R. ad 1^m Quæs.* Confessio ROSAURÆ integritate per se non caruit, modo mulier omnes peccatorum species expresserit. Ratio est, quia Confessarius audit et absolvit peccatorem præsentem cujuscumque status, conditionis aut sexus fuerit. Error enim Ministri circa sexum penitentis, est quid mere accidentale quoad confessionem et absolutionem : nam Confessarius non debet iudicium ferre de sexu, sed de peccatis; peccata autem pro diverso sexu speciem non mutant. Hoc etiam valet, si mulier confitendo sub specie viri, peccata cum sexu diverso commissa accusaret, quia iudicium Confessarii essentialiter non mutaretur.

439. — *R. ad 2^m Quæs. Neg.* Ratio est, quia mater non exprimeret quod proprio fœtui necem intulisset, et proinde speciem gravissimam peccati contra pietatem reticeret. Ergo in eo casu confessio ROSAURÆ integritate careret.

CASUS VII.

MENDACIUM IN CONFESIONE 1^o.

DOROTHEA, pia mulier, licet ut filia Adæ humanam fragilitatem interdum experiatur, a Confessario interrogata utrum ad sacram Mensam de more accesserit, affirmavit, non audens declarare, se ob aliquod animi tædium semel iterumve Communionem præscriptam omisisse. Alias interrogata num peccatum aliquod veniale pluries olim ab ea commissum iterum admiserit, contra veritatem id negavit. Tandem, cum generalem confessionem ex mera devotione instituisset, interrogata de aliquo peccato gravi contra castitatem, negavit se illius ream esse, quia illud in præterita confessione debite declaraverat. Postea timet DOROTHEA, ne propter præfata mendacia, confessionem sacrilegam fecerit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quale peccatum sit mentiri in confessione?*
 2^o *Quid de DOROTHEA judicandum?*

SOLUTIO :

440. — *R. ad 1^m Quæs.* Per se datur tantum peccatum mortale quando mendacium versatur circa materiam necessariam confessionis sine justa causa celatam, aut materiam gravem suppositam.

Hinc : 1^o Peccat graviter penitens qui, non legitime excusatus, negat se commisisse aliquod peccatum grave quod scit se patrasse, quia injuriam gravem Sacramento irrogat.